

Bibliothèque numérique


medic@

**Tenon, Jacques-René - candidat /
Andouillé, Jean-Baptiste-Antoine -
président. - [De cataractâ]**

1757.

***Paris : Typis Viduae Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ***

Cote : ms 2342, n°55



1757

DE CATARACTA.

T H E S E S

E X

A N A T O M I A

E T

C H I R U R G I A.

Quas, DEO JUVANTE, & Præsidi M. JOANNE-BAPTISTA-ANTONIO ANDOUILLE, Professore Regio, Nosocomii Charitatis Parisiensis Chirurgo Primario, antiquo Scholæ Præposito, necnon Nosocomiorum Castrensiū, & Regis exercitūs nup̄r Chirurgo Primario, tueri conabitur JACOBUS-RENATUS TENON, Senonensis, Artium Magister in præclarâ Universitate Parisiensi, olim Primarii Nosocomiorum Castrensiū, & Regis exercitūs Chirurgi Adjutor, nunc Nosocomii Generalis Parisiensis in domo dictâ la Salpêtrière, Chirurgus Præcipuus.

de Senz

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Veneris 14. Januarii, anno salutis 1757. à sesqui secundâ post meridiem ad septimam.

P R O A C T U P U B L I C O
E T S O L E M N I C O O P T A T I O N E.



Typis Viduæ DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg. Typographi,
viâ San-Jacobi.



D. O. M.
**THESES ANATOMICÆ
ET CHIRURGICÆ.**

EX ANATOMIA.

s. I.



TOT sunt & tantæ, quibus ex videndi facultate gaudemus, opportunitates, mirum ut nulli videatur, si Chirurghi quos nobilis & beneficus agit ardor, oculi morbis sedulò dignoscendis certatim allaboraverint, iisque tutò curandis opem collocaverint & industriam. Varios inter oculi morbos eminet Cataracta, ab omni ævo Chirurgorum animadversionibus & controversiis dignissima. Verùm quàm laudabili ausu recentiores ad hunc morbum penitus eruendum in oculi delicatiora penetralia manum salubribus telis armatam immittunt? Quàm felici eventu miseros luce orbatos exquisitissimis vitæ deliciis recreant? Quid stupes? Præpollet sanè ars curandi accuratâ Corporis humani indagazione innixa. Nostros gressus ergo

2

dirigat Anatomia : facem illâ preferente , in tam difficili argumento non incedemus ancipites ; imò si quid in investigandâ oculorum mechanicâ profecimus , aliqualis inde lux , quod aggredimur proposito benignius affulgebit.

§. II.

ORGANUM visûs , oculus : oculi partes , duplicis generis , accessoriae & propriae. Priores globi compositionem non ingrediuntur quidem , sed eum protegunt variis que motibus reddunt expeditiorem ; tales sunt musculi , pinguedo , glandula lacrymalis , orbita , palpebrae , &c. de quibus cum fusè agant in operibus palàm editis anatomici , nihil addemus : posteriores globum , ipsum constituunt ; tunicae scilicet & humores. Has inter partes aliae ut sclerotica , nervus opticus , Choroides , retina , membrana vitrea & corpus vitreum in parte posteriori oculi jacent ; aliae quarum descriptio ut potè ad nostrum pertinens institutum subjicietur , anteriorem ejus partem occupant , nempe cornea , iris , processus ciliares , lens crystallina , ipsius capsulae , ligamentum ciliare , humor aqueus & utraque camera.

§. III.

CORNEA , membrana pellucida , paululum in orbem prominens , albo circumfusa , in anteriori oculo posita ; pluribus constat lamellis diaphanis , porosis , sibi super positis. Eam exterius muniunt folliculi duo , conjunctivae & albugineae propagines. Hae tùm interiores , tùm exteriores lamellae retrò feruntur simul : exteriores scleroticæ obtenduntur ; interiores aliquantulum productæ , in obliquum desinentes , scleroticæ in obliquum pariter , ut rectè observavit Brissæus , (a) procedenti subrepunt & uniuntur. Membrana hæc antèrîus convexa posterius concava ut plurimum $\frac{2}{3}$ quandòque $\frac{1}{2}$ lineæ partibus spissa (b) ; videtur esse sphaeræ segmentum cujus diameter modò sesqui septem modò 8°. linearum ; (c) chorda corneae quinque obtinet lineas. Oculum à parte anticâ terminat ; prominens anteriorem protendit cameram ; aqueum humorem continet ; radios luminis plurimos colligit , ad perpendicularem plus minùs ve pro circumstantiis refrangit , transmittit.

§. IV.

SUB corneâ apparet membrana plana , fenestrata , variis distincta coloribus jucundè ordinatis ; iridis nomine gaudet : fo-

(a) Brissæus , traité de la Cataracte & du glaucome.

(b) Clar. Petit. Med. in actis.

Reg. Sci. Acad. ad annum 1728.

(c) Id. ad annum 1725.

ramen rotundum, pupillam; superficiem posteriorem nigricante muco linitam, uveam vocant. Iridem constituit unica lamella membranacea, à pupillâ in orbem protensa ad circum-
lum usque ciliarem à quo brevissimum mutuatur ligamentum (Fig. 1^a. E F) quo scleroticæ cum corneâ commissuræ inhæret. Lamellam seu septum iridis membranaceum conficiunt fibræ à majori circumferentiâ ad pupillam undatim excurrentes. Posterius firmant albentes lingulæ, (Fig. 1^a. & 2^a. 4) ex processibus ciliaribus ortum ducentes, tertiâ circiter supra anteriorem eorum extremitatem, lineæ parte: ab externo processûs limbo per basim satis latam protenduntur paululûm; mox reflexæ, post iridem radiatim feruntur, eique per alterum limbum adherent: ad pupillam coangustantur hæ lingulæ, eò tenuiores quò major Crystallini anterior convexitas: limbum posteriorem huic offerunt, tùm ut stet paulò ab uveâ remotior ne fortè mucus ab ipsâ deglutinetur, tùm ut his fulta major iridis circumferentia cum pupillæ margine planam superficiem obtendat. Reperiuntur in iride duo circuli vasculosi quorum alter pupillam ambit, alter à pupillâ lineæ dodrante distat; ad eos quot quot in hoc septo excurrunt vasa confluant. In obscuro ad tres lineas dilatatur pupilla, quò plures radios excipiat; in summâ luce ad lineam circiter contrahitur: priorem motum conficere dicuntur fibræ musculosæ rectæ; posteriorem orbiculares pupillam cingentes: verùm cum, diligentissimis licet inquisitionibus in homine & animalibus institutis, admotis etiam vitris, non appareant, conijcere par esset post Illustrissimum Duverney (a) dari quosdam motus independentes à musculorum actione.

§. V.

Post iridem & in majori ejus circumferentiâ videntur tenuissimæ prominentiæ albidæ, stricto & elastico textu: hæ processus ciliares, 72 circiter, in internâ circuli ciliaris facie transversè positos juxtâ se & ordine suo coronam exhibentes constituunt. Anterior processuum extremitas quæ in orbem effingitur & circumulum ciliarem excedit, in majori iridis circumferentiâ sub circuli nigricantis specie per corneam apparet: processus duos per hanc suam extremitatem unitos, quandoque inveni; (Fig. 3^a. m 4); eâ ex unione fiebat rostrulum è cujus convexitate oriebantur lingulæ; (§. IV.) interna illorum ora ab extremitate anteriori ad posteriorem quæ desinit

(a) Hist. Reg. Sci. Acad. ad annum 1678.

4

in apicem, plures flexus continet. Retinæ & vitreæ membranæ flexus, singulos inter processus, idèd irrepentes, ut & adhæreant & vasa inde sumant, si tollas, apparebit in aquâ limpidâ observanti, cujusque processûs ora externa super fundum solidum, cavernosum tamen, sita, cum funiculis albis qui à protuberantiâ communi nascentes ad ipsos desinunt (Fig. 3.)

§. V I.

CRYSTALLINUS humor, corpus lenticulare, pellucidum, capsulâ membranaceâ inclusum, ponè pupillam situm, uveam inter, processus ciliares, & corpus vitreum in cujus sinum recipitur. Quid quid tentârint Anatomici, nullam huc usque Crystallini humoris cum aliis partibus cohærentiam deprehenderunt. Imbibitione] nutritur & lamellis suprà stratis accrescit. Exsiccatum coctum ve si inspicias, lamellis sibi invicem commissis, ad instar calculi aut cœpæ, constans observaveris. Si acidis aliis ve liquidis maceretur, tres in partes juxtâ centrum finditur: ex fissuris lucidè patent fibræ rectæ, quæ plures in fasciculos distinctæ prodeunt à centro ad circumferentiam, & à circumferentiâ ad faciei oppositæ centrum excurrunt: tria à fasciculis efformata spatia triangularia occupant fibrillæ rectæ, quæ per unum extremum ad fasciculorum latus desinunt, per alterum verò ad Crystallini limbum; unde reflexæ, eodem ordine ad faciei posterioris fasciculos pertingunt: fibrillas illas tubulos esse quibus nutritius humor in Crystallinum diffunditur, haud imprudenter credi posse existimat Celeberrimus Morgagnus: (a) At certò certius observata manet non in superficie modò, verùm & in singulis lamellis, uniformis fabrica mirabilis; quælibet enim Crystallini Brennæ, Cyprini, Squatinæ, Raia, Anguillæ & plurimorum piscium lamella, microscopio mediante, pulcherrimum aspectu præbet reticulum fibris rectis penè parallelis filamentisque longè tenuioribus transversis subtiliter contextum: ex fibrarum cum filamentis unione innumeri exurgunt pori quadrati longiores; (Fig. 4a.) iteratis sæpissimè observationibus, lamellarum interiorum fibras densiores comperimus quàm exteriorum, proindeque in illis exiguiores poros. Lamellæ omnes sibi invicem unitæ lenticulare corpus quatuor circiter granorum pondere (b) efficiunt, cujus color & soliditas, pro ætate, vulgò diversâ: (c) vigesimo quinto ætatis anno, Crystallinus

(a) Epist. Anat. 18.

(b) Petit in actis Reg. Sci. Acad.
ad annum 1723.

(c) Petitus in actis Reg. Sci. Acad.
ad annum 1726.

3

humor, mollis & absque colore; quod ætas sit provectior, eò magis obdurefcit, in centro potissimum: anno ætatis trigefimo, subflavus, quadragesimo paleæ colorem refert; quinquagesimo amplius adhuc flavescit; 70° demùm aut 80° succineus color. Quod notandum imprimis, mihiq̃ue, post clarissimum Petitem, pluribus inspectis lentibus stat confirmatum, ejus diameter quatuor linearum, rarè admodùm trium aut quatuor cum dimidiâ; duarum linearum, crassitudo: convexitas anterior, segmentum circuli cujus diameter nunc pollicem, nunc sesqui pollicem obtineret: posterior facies protuberat magis quàm anterior; videtur circuli segmentum cujus diameter esset quinque linearum, sex ad summum; hujus autem convexitatis sectio, ferè parabolica. Ad hoc interserviunt lentis forma, soliditas & diaphaneitas, ut radiis luminis transmittendis par sit & ad perpendicularem refrangendis.

§. VII.

CAPSULA quæ in fossulâ CrySTALLINUM detinet, membranæ vitreæ expansio. Duabus constat lamellis: altera tenuissima post CrySTALLINUM progreditur & vitrei humoris fossulam obteggit; capsulam posteriorem dicimus: altera quæ CrySTALLINUM obvelat, crassior; retinæ productione videtur firmata; (a) capsulam anteriorem nuncupamus. Has inter & CrySTALLINUM infunditur humor, plùs minùs ve, pro hominis ætate & oculorum habitu spissus atque limpidus; humor est Morgagni.

§. VIII.

AMBÆ capsulæ (§. VII.) & retina ad CrySTALLINI limbum accedunt mutud, ibique cohærentes producuntur simul usque ad procellus, ciliares; capsulas perreptant furculi albi, veluti nervosi; (b) horum omnium concursu exurgit ligamentum strictè & firmè satis, pro subtilitate, contextum; ligamentum ciliare vocant, quod unâ cum lente CrySTALLINâ & utrâque ejus capsulâ vitreum humorem cavo suo detinet & adstringit. Septi seu CrySTALLINI anterioris centrum lineâ citè cum $\frac{1}{2}$ à corneâ distat. (c)

§. IX.

SPATIUM illud (§. VIII.) dividit iris in duas impares camera; anterior una, altera posterior: pupillæ apertura utriusque communis: harum capacitatem replet humor parùmper viscosus, salsus & limpidus, aquei nòmine notus. Unam &

(a) Clariss. Winslow exp. Anat. | (c) Clar. Petitus in act. Reg. Sci.
(b) Eruditus Lieutaud. in eximio | Acad. ad annum 1728.
libro, essai anatomique.

eamdem cavitatem efficit camera anterior, à corneâ & planâ
 gridis superficie circumscriptam; lineam circiter, è regione
 pupillæ, propter corneæ convexitatem, altitudine obtinet; ad
 circumferentiam verò angustior. Camera posterior non uni-
 cam, sicut anterior, cavitatem efformat; ad majorem præsertim
 uveæ circumferentiam, in cellulas pyramidatas per lingulas
 (§. IV.) distribuitur; eam terminant uvea, processus ciliares
 & anterior Crystallini facies seu potius capsula: ejus altitudo
 contrâ pupillam $\frac{1}{2}$ circiter lineæ partis propter Crystallini pro-
 minentiam; $\frac{1}{4}$ verò inter lingulas juxta processus ciliares.

EX CHIRURGIA.

§. X.

COLORIS qui trans pupillam conspicitur, in album, fla-
 vum, sub nigrum, &c. immutatio, cum visus imminutione
 in principio morbi, in incremento abolitione, cataracta di-
 citur.

§. XI.

QUÆNAM sit hujus vitii sedes, si quæras, factâ oculorum
 cataractâ laborantium dissectione, crystallinum quandòque
 opacum (a) deprehendes: ergo tunc cataractam constituit
 Crystallini opacitas.

§. XII.

AT verò capsulas nunc spisso quodam luto (b) quod aquâ
 diluitur, nunc concretionibus (c) etiam post longiorem mace-

(a) Antonius Maitre-Jan in libro
 cui titulus. *Traité des Maladies de
 l'œil*. Brissæus in scripto. *Traité de la
 Cataracte & du Glaucoma*. Lauren-
 tius Heister in tractatu de *Cataractâ
 & Glaucomate*.

(b) Morgagnus epist. 18a. Petitus
 in actis Reg. Sci. Acad. ad annum
 1730. idem inter operandum obser-
 vamus; aliquandò enim materiam
 hanc ab internâ capsularum facie ha-
 bemus eradendam, sicut jam adno-
 tavit in actis Regiæ Chir. Acad.
 Tom. II. D. Davidus in præsentis
 Argumento versatissimus.

(c) OBS. 1^a. Utrumque Cryst-
 tallinum opacum & capsulis adhuc
 contentum cum extraxissem ab equi
 viventis oculo, capsulas reperiî con-
 cretionibus solidis albidisque persi-
 peras, quæ capsulis in aquâ licet
 per aliquot dies maceratis pertina-
 citer adhæserunt.

OBS. 2^a. In oculo humano post
 dissectionem comperi capsulam an-
 teriorem per duas circiter lineas
 anteriori Crystallino adhærentem,
 & ita quidem ut capsulam quam ad
 Crystallini limbum incisam ad me
 traxeram ut à lente avellerem, la-

rationem superstitibus oblinitas, nunc ex omni parte opacas reperies : (a) hujus rei invictissimum argumentum, oculi dif-

mella lentis fuerit secuta : durissima & in loco adhaesionis opaca erat capsula; CrySTALLINUS exsiccat, flavescens & mole minor.

(a) DD. Morand & de la Peyronie in actis Regiae Sci. Acad. ad an. 1722. Valsalva in dissertatione Anatomica secundâ. Morgagnus, epist. 18a. D. Hoin in actis Reg. Chir. Acad. T. II.

Ex quo dissertationem de capsularum vitio coram Regia scient. Academiâ legi anno 1755, quinque insuper reperi opacas, ut ex sequentibus observationibus patebit.

Obs. 3a. & 4a. Oculum humanum Cataractâ confectum, adstante D. Chopin Regio Chirurgo-trimestri, dissecuri. capsula, illi planè similis, quam anno 1754, extraxi à mulieris viventis oculo : hæc aquâ abluta opacitatem servavit ; ipsam inter & CrySTALLINUM qui & opacus erat & mole imminutus, jacebat multus humor Morgagni flavus & subspissus. Capsula integra ex oculo equino extracta, idem prorsus mihi ostendit exemplum.

Obs. 5a. Hanc in oculo equino institui. Emaciatus erat oculus ; flaccida sclerotica ; camera anterior humore plena ; vitrei corporis pars major perierat ; quod reliquum, liquidum erat & flavescens ; lens sub rubra, mole arctior, in cameram anteriorem secesserat : apparebat post uveam septum quoddam membranaceum, lineæ crassitudine, cartilagineis instar solidum, album, opacum tamen, quod variis radiorum ciliarum impressionibus distinctum, ad processum usque ciliares quibus adhaerebat, protendebatur : in facie posteriori deprehendebatur lata cicatrix albida, manifestè fibrosa : post severum morbi singularis examen, septum hoc judicavi ab unionem cellula-

rum corporis vitrei cum capsulis CrySTALLINI, effectum : verum, quod notandum maximè, minor erat nervus opticus ; minùs quàm in statu sano, candidus, fibrosus, & solidus ; in tuberculum non in depressionem ferè pellucidam definebat.

Obs. 6a. Alterum pro capsularum opacitate subministrat argumentum ejusdem equi dexter oculus, in quo non singularia minùs ac utilia occurrebant observanda. Emaciatus erat, at minùs sinistro : nervum pariter opticum minùs solidum, crassum, candidum & fibrosum deprehendi ; in tuberculum terminabatur : plena erat utraque camera : trans pupillam quæ non plùs equo patebat, apparebat color luteus : corneam vix excideram, effluxit statim multus humor subflavus ; præ illius copiâ, corpus vitreum liquefactum, simul cum humore aqueo effusum conjeci ; oculi fundum diffindo, ut interiora prospiciam : circâ CrySTALLINUM, in ligamento ciliari, plurima deprehendi foramina ; per hæc effluerat humor vitreus qui liquidus evaserat : CrySTALLINUM in sede sua inveni solidum, flavum, opacum & in facie anteriori magis quàm in posteriori convexum ; in spiritum vitrioli cum injecissem, supernatavit, sicut & CrySTALLINI sani quos simul injeceram ; verum non sicut hi, albescere visus est : tenuis erat & diaphana, capsula anterior ; posterior verò solida erat, opaca & crassissima : hanc diligenter perspectam, ex duabus lamellis membranaceis constata inveni ; alteram censui capsulæ ipsius lamellam, alteram verò cellularum corporis vitrei collapsam.

Obs. 7a. Quinta mihi superiùs pro capsularum vitio & opacitate probatio, ex Cataractâ cujus ope-

fectio, nec non rationi consentaneum; neque enim opaci sunt semper qui ex oculo quem Cataracta inficit, extrahuntur Crystallini. (a) Capsula & membrana vitrea, in animalibus rubiâ pastis, rubeo tinguntur colore, dum cæteræ membranæ vel corpora oculi diaphana nativum servant colorem. (b) Cataractam interdum tollunt mercurialia; (c) id autem fieri non valeret, nisi Cataracta capsulas infestaret, quas quidem subire possunt mercurialia, minimè verò lentem quæ nullum hucusque notum cum partibus vicinis habet commercium. (§. VI.) Licet sanus sit oculi fundus, licet apprimè peracta fuerit operatio, non felix semper exitus; quandòque enim non nisi imperfectè, quandòque perfectè quidem sed ad tempus duntaxat, quandòque demùm ne imperfectè quidem videt ager. Ergo & factis liquet & argumentis in capsularum opacitate Cataractam haud infrequenter consistere.

§. XIII.

Ex prædictis (§. XI. & XII.) evidenter sequitur Cataractam aliam esse Crystallinam, aliam capsularem, aliam ex utràque compositam. Crystallina duplex: mollis, ubi lens ex toto vel ex parte dissoluta; solida, ubi lens vulgò exsiccata & mole minor. (d) Capsularis in anteriorem & posteriorem dividitur. Composita triplicis speciei; vel enim cum Crystallino opaca est capsula anterior, vel posterior, vel utraque simul.

rationem in quodam hujus Urbis mercatore institui. Dissolutus erat Crystallinus; capsula membranæ pergamenæ instar, densata & solida. Operosus fuit labor; capsulâ tamen quadripartitâ, id tandem sum affecutus, ut sufficientem radiis patefacere aditum. Hûc referre juvat quod à celeberrimo Joanne-Baptistâ Wulpio accepisse se ait Morgagnus; asserit ille vitium omne in lentis tunicâ interdum sibi visum residere: non fortius enim acui reluctabatur Crystallinus, dùm è contrâ ad duritiem Cartilaginis accedere videbatur capsula.

(a) Lege in actis Reg. Sci. Acad. ab eruditis extraneis vol. tertium.

(b) Ex obs. clariss. Duhamel & Morand in actis Regi. Sci. Acad. ad annum 1739.

(c) Clariss. Boyleus in suis de utilitate Philosophiæ experimentalis exercitationibus.

(d) Obs. 8a. Crystallinum quidam sanus, quatuor vulgò linearum est, ex oculo extractum Cataractâ vitiatum, duarum tantum modò, duarum & dimidiâ, trium, interdum in Cataractâ recente trium cum dimidiâ linearum inveni: ne duas quidem habentem lineas, in cataractis mollioribus comperi.

Obs. 9a. In oculis quos recentissimè dissecai, quorum alter sanus, alter Cataractâ depravatus, Crystallini sani diameter erat quatuor linearum; duarum, crassitudo: vitiatum erat viscosus, solidus, flavescens; diameter ejus, trium linearum cum dimidiâ; sesqui lineæ, crassitudo.

§. XIV.

9
§. XIV.

CAUSA Cataractæ proxima, vasorum capsularium nec non tubulorum & macularum lentis obstructio, item quid quid genuinam ejus destruit structuram. Dolor acutus, vis externa, inflammatio, ignis vel aquæ ferventis nimia in oculos actio, radii vividiores, lentis in sacculo compressio humoris Morgagni absorptionem secuta nimiam ve muscutorum rectorum & obliquorum contractionem, capsularum suppuratio, lymphæ lentor & spissitas, partibus, succrescente ætate adveniēns rigiditas, causa remota.

§. XV.

(A) Signa Cataractæ diagnostica, communia vel propria: ex communibus, alia ad ægrum pertinent ipsi soli nota, scilicet visus hebetudo, decurtatio, perpetua allucinatio, quæ eò sæpè accrescit ut phantasmata corporum non autem formas intueatur: alia Chirurgo apparent, nempe post pupillam vel in ipsâ pupillâ alienum conspiciat colorem qui pro pupillæ dilatatione vel contractione amplior vel angustior. Hæc ubi adsunt, Cataractam adesse tutò judices; qualis autem illa sit, indicabunt sequentia.

(B) Color flavus, succineus, fuscus, nigricans, sub rubeus, Cataractam Crystallinam designat, lentemque exsiccata; hæc cataractæ species profunda magis quàm Cataracta capsularis anterior, minùs quàm capsularis posterior; item alta magis aut minùs prout anteriorem aut posteriorem Crystallinæ lentis faciem inficit; si posteriorem, ad pupillam in dies accedit.

(C) Color cineraceus, spatiis lucidis & quasi vacuis distinctus Crystallinam Cataractam denotat, lentem verò ex toto vel ex parte dissolutam.

(D) Quæ superficiei proxima; quæ convexa & ceruleo-candida; quæ plana & in centro albida; quæ acuta in apice albicat & in circumferentiâ glauco tingitur colore, capsularis anterior.

(E) Quæ verò plures lineas post pupillam demissa; quæ lata, concava, in centro si senex æger, flava, si juvenis, sub alba, capsularis posterior. (capsulam posteriorem & lentem diaphanas adhuc ponimus; aliàs signa hæc non apparitura nemo non vider.)

(F) Cataractam compositam annuntiabunt signa communia, (§. XV. A.) quibus in primâ specie accedent signa Ca-

B

taractæ capsularis anterioris propria (§ XV. D.) & major obscuritas quàm si sola capsula sit opaca; in secundâ specie signa Cataractæ CrySTALLINÆ peculiaria, (§. XV. B. & C.) major obscuritas quàm si solus CrySTALLINUS sit opâcus, lenta pupillæ mobilitas, immobilitas, interdum etiam ampliatio; in tertiâ specie signa cataractæ capsularis anterioris, (§. XV. D.) obscuritas maxima, pupillæ in motibus lentor, inertia, nonnumquam dilatatio.

§. XVI.

Si apertiores palpebræ; si oculus satîs promineat; si convexa, ut par est, cornea; (§. III.) si Cataracta CrySTALLINA; si exsiccata lens atque imminuta, non tamen adhærens; (obs. 2^a.) si (in eâ quam meliorem indigitabimus methodo) fusa ex toto vel ex parte; si cataracta capsularis anterior; si superfit luminis sensus; si denique colorem iris, suamque mobilitatem & formæ rotunditatem servet pupilla, Bonum.

§. XVII.

At verò in Cataracta capsulari posteriore, cum eam generare aut vis externa aut nimia inflammatio; si nova accedit oculo forma, & accrescit aut decrescit; ubi comes gutta ferena; ubi spissior evadit retina aut à choroide separatur; ubi dissolvitur corpus vitreum, densatur fitque osseum; ubi lens CrySTALLINA fit ossea aut alterutri capsulæ adhæret; ubi capsulæ humore viscoso exsiccato interiùs perfunduntur, aut obduruere; ubi uveæ adhærescunt, aut iris corneæ accrescit; ubi albugine, cicatrice, ulcere, & staphilomate affecta cornea; immotâ, nimium dilatâ, contractâ, corrugatâ, pupillâ; nativo demùm iridis colore exuto, Malum.

§. XVIII.

In Cataractâ cui favet operatio, duplicem exhibet methodum Chirurgia, depressionem nempe & extractionem. In depressione, nervum ciliarem ejusque ramulos, processus, circulum, radios & ligamentum pungendi periculum est; nonnumquam ipsum musculi abductoris tendinem pessimè lædit acus; frequenter rumpuntur vasa choroidis, unde sanguis effusus oculum miserè devastat. Discinduntur capsulæ CrySTALLINUS, si fuerit dissolutus, in humorem aqueum effluit; si mollior, deprimi nequit; si solidus & trajiciatur acu, vix expeditur: perfecte non deprimitur? Pupillæ partem obturat, vel pro elaterio corporis vitrei in priorem repellitur sedem: adhæret? ægrè distrahitur: deprimitur? fortè per unum limbum in retinam impingit, ipsam inter & choroidem irrepit: retrò plûs

æquo pellitur? Luminis radios intercipit: rara demùm fortuna, si inter frequentes acūs motationes, vitrei corporis cellulæ non discindantur: Cameram anteriorem subit lens? hîc novus labor ut educatur. His omnibus incommodis obnoxia minimè est extractio; imò perfectum ægro restituit oculorum usum, eoque perfectiorem quòd Crystallini fossula ab humore vitreo in ejus locum secedente repletur. (a) Ergo Cataractam Crystallinam extrahere quàm deprimere satius est.

§. XIX.

EXTRACTIO depressioni sanè anteferenda ubi Cataracta Crystallina; diversa enim Cataractæ species diversum haud dubiè requirit operandi modum. Si Crystallina sit, lens extrahenda: si capsularis anterior, capsula crucis in modum incidenda, lens que educenda: si capsularis posterior, incisâ capsulâ anteriori, extractâ lente, capsula posterior in modum supradictum refecanda; sicque radiis luminis patebit ad retinam via.

§. XX.

HIS omnibus perficiendis abundè sufficiunt instrumenta duo; altero cornea scinditur, altero finditur capsula.

§. XXI.

IN statu sano Crystallinus est quatuor linearum; (§. VI.) in Cataractâ sanabili angustior; (obs. 8. & 9.) ergo per sectionem quatuor linearum in corneâ institutam, facilis Crystallinus

(a) Ubi Cataracta deprimitur, in Crystallini locum secedere corpus vitreum & convexum fieri credebant omnes; non ita certum quam induat figuram, quando lens extrahitur: sit ne convexum? Sicut post depressionem; manet ne concavum? Sicut in libello recens edito cui titulus *Dissertazione sopra l'arte ed un nuovo modo di ristabilire la vista*, contendit Tailorus. Quid in re adeò gravi sentiendum, cognoscendi cupidus, ad experientiam confugi. Saviente igitur hieme anni 1754. Cataractæ operationem in cane celebravi: post exactum ab operatione diem 18um, oculum gelu indurandum curavi, simul cum oculo sano: his bifariam divisus per sectionem ab anteriori oculo ad posteriorem, productam,

sequentia adnotavi.

Obs. 10a. Oculus sanus longitudinis habebat novem lineas & dimidiam, latitudinis 9m; camerarum anterioris & posterioris altitudo, duarum linearum ex adverso pupillæ; Crystallinus erat duabus lineis crassus; post Crystallinum humor vitreus quinque lineas cum dimidiâ obtinebat. Oculus in quo operatio fuerat peracta longitudinis 8°. tantum habebat lineas, latitudinis 7m. cum $\frac{3}{4}$; camerarum altitudo linearum dumtaxat; planam superficiem anteriùs obtendebat corpus vitreum; ab humore aqueo ad oculi fundum 7m. tenebat lineas: in oculo sano humor aqueus 7m granorum, trium tantum modò in oculo operationem passo.

eductio; ad semi-lineam itaque à conjunctivæ margine sectionem inchoabis & absolves. (§. XII.)

§. XXII.


OMNIBUS ad operandum dispositis, caput ægri parùmper reclinatum sinu excipit Chirurgus, firmatque manu superpositâ, dum altera ad mentum delata palpebram inferiorem unculo hunc ad usum quæsito depressam tenet. Operator inter ea sublimi celsus sede ex adverso ægri collocatur; palpebram superiorem sinistro, si de sinistro agatur oculo, stabilit pollice, & scalpelli (Fig. 5^a.) dextrâ manu in corneam immittit ad semilineâ à conjunctivâ distantiam, versus minorem oculi canthum: instrumentum è regione pupillæ ad latus oppositum dirigit, quod ad eandem à conjunctivâ distantiam perforat; fissuram usque infra pupillam producit, quò cum devenierit, instrumenti aciem anteriùs convertit, agit, corneam secat & instrumentum retrahit. Peractâ corneæ incisione, incidenda venit capsula; quod tutò & facilè absolveret Chirurgus scalpelli ope, (Fig. 6^a.) cujus immittet cuspidem per corneæ aperturam, ita ut ejus resagmen latere obtuso tollat sursum, & per pupillam ad cameram posteriorem attingat: tunc ne parcius sit capsulæ sectio, ne lædantur iris & processus ciliares, ne periculosam compressionem requirat CrySTALLINI extractio, iridis marginem instrumenti dorso defensam paulisper amoveat, aciem in capsulam inferat & sectionem ferè usque ad lateris oppositi marginem ducat: tùm retractâ paulisper versus minorem oculi canthum pupillæ orâ; & inverso instrumento, eâdem cautelâ, sectionem perficiat; sic discissâ capsulâ, spontè sæpè sæpiùs prodit lens. Hæc est quæ nos plurimùm juvat, in Cataractâ CrySTALLINâ operandi methodus.


§. XXIII.

SI Cataracta sit capsularis anterior, corneâ juxtâ laudatam methodum (XXII.) incisâ, capsulam crucis in modum rescabit operator; quod ut facilè præstet, iridis cui obtusum instrumenti latus offerre curabit, toties removeat oram, quoties incisiones quatuor ad pupillæ axem desinentes aggreditur; tunc recisâ capsulæ segminibus ad latera discedentibus, lentis extractione operationem perficiet.

§. XXIV.

UBI Cataracta capsularis posterior, post corneam defestam, (§. XXII.) extractam lentem, capsula posterior eodem scalpello, (Fig. 6^a.) eâdem solertiâ (§. XXII. & XXIII.) superiorique, ut ita dicam, animadversione rescabitur.





TABULÆ EXPLICATIO.

Figura I^a. exhibet Oculi posteriorem horizontaliter in duas partes æquales secti, cujus diameter quadruplo major quàm in statu naturali.

- | | |
|---|---|
| <p>A. Cornea.
C D. Cornea & sclerotica secantur & à loco ut designat punctorum series amoventur quò magis appareat ligamentum iridis.
E F. Iridis ligamentum.
E. Ligamentum iridis protensum.
G. Filamenta circulum ciliarem scleroticæ annectentia.
H. Camera anterior.
I I. Iridis sectio.
i. Pupilla.
4. Lingulæ super posteriorem iridis faciem radiatim positæ.
K. Crystallini sectio.
L. Circuli ciliaris pars.
M M. Processus ciliares : octodecim tantùm hic depinguntur, totidem</p> | <p>qui figuram nimium obscurassent; omisiss.
N. Processus ciliaris horizontaliter in loco conspectus : unius faciei forma apparet; concavus est limbus externus, circuli que ciliaris prominentiæ supercrescit; internus verò convexus, variis flexibus distinguitur : extremitas posterior in apicem desinit; anterior in orbem effingitur : observare etiam est lingulam, quomodo iridem inter & crystallinum producat.
O. Capsula anterior.
P. Capsula posterior.
Q. Ligamentum ciliare.</p> |
|---|---|

Figura II^a. repræsentat processum, in Figurâ primâ litterâ N. notatum, horizontaliter situm, cum ipsius lingulâ.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Limbus externus concavus.
2. Limbus internus convexus & flexuosus.
m. Extremitas posterior.
3. Extremitas anterior.</p> | <p>4. Lingula.
5. Una ipsius facies, in quâ videntur aliquæ funiculorum albidorum expansiones.</p> |
|---|--|

Figura III^a. exprimit circuli ciliaris partem, super quam interiùs positi sunt processus duo, à limbo interno conspecti, absque lingulis.

- | | |
|---|---|
| <p>1 I. Circuli ciliaris pars.
m 3. Processus simplex; extremitas anterior 3 circulum ciliarem paululum transiit; spissior est posteriore m. quæ eundem circulum multum excedit.
m 4. Processus compositus : 4 extremitas anterior duas in lamel-</p> | <p>las divisa.
6. Protuberantia communis.
7. Funiculi albidi cellulas quasdam seu cavernulas effigientes, à protuberantiâ communi ad processus usque extenduntur supra quorum facies progredi videntur, sicut cernere est fig. 2. N^o. 5.</p> |
|---|---|

Figura IV^a. crystallini squatinæ lamellam promit microscopio perspectam, in quâ observantur fibræ parallelæ quas inter cernuntur filamenta longè tenuiora, perpendiculariter in ipsas incidentia.

Figura V^a. Scalpellum Clar. de la Faye unâ facie recurvum, latere duntaxat scindens excepto apice qui anceps est; hujus instrumenti lamellam idèò unius lineæ latam feci, ut cameræ anterioris altitudini faciliùs adaptatam; longitudinis etiam tres lineas detraxi, ut eo commodiùs uteretur.

r. Designat instrumenti curvaturam.

Figura VI^a. exponit scalpellum nostrum, capsulæ præsertim incidendæ accommodatum, altero latere secantem, altero obtusum.

ERRATA.

Fig. 5. not. (a) Clariss. lise Clariss. pag. 7. Obs. 6. fig. 25. deprehendi, lise deprehensi. pag. 10. fig. 8. dilatatio, lise dilatatio.

EXPLICATION DE LA PLANCHE.

*Fig. Va. Fig. 4. adaptatam, lise adaptarem, ibid. commodiùs, lise commodiùs
Figura VIa. fig. 2. secantem, lise secans.*

